



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio II. De Distinctione Reali rigorosa inter Rem & Rem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Alia inadæquata, quorum unum est includens aliud inclusum. Denique distinctio modalis de qua infra.

DISTINCTIO rationis subdividi potest, in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ non habet fundamentum in re, & distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ habet hoc fundamentum.

An hircocervus & Leomus sint inter se realiter distincti nemine cogitate, quæstio erit de voce: si enim intelligas nomine distinctionis realis distinctionem, quæ sit inter res, quæ sunt nemine cogitante, non erunt hæc entia rationis distinctæ realiter hoc sensu; quia non sunt entia realiter, hoc autem sensu erunt distincta, quia prædicata v.g. hirci, reperibilia in hircocervo, & prædicata Leonis, reperibilia in Leomure, sunt nemine cogitante distincta. Supposito quod accipiant illa entia esse jam ab intellectu.

Quod attinet ad naturam extremorum distinctionis.

DICENDUM est. Si per distinctionem actua-lem intelligas distinctionem nemine cogitante illa non requiritur existens utrumque extremum.

RATIO. Quia antequam creaturæ existebant, dicebat Deus alietatem ab illis; seu carentiam identitatis realis cum illis, adeoque dicebat & distinctionem, & tamen creaturæ, non existebant. Indubie tamen non erit distinctio actualis inter Deum & creaturas ab interno, si nomine actualis distinctionis, accipias distinctionem inter extrema actualia reperibilem.

QUÆSTIO II.

De Distinctione reali rigorosa inter rem & rem.

Quæstio hæc imprimis inquireret: quid sit hæc distinctio, deinde, de signis ejusdem discurret, & sic

DIFFICULTAS I.

Quid sit Distinctio realis rigorosa.

Scri non poterit quid sit distinctio realis, si non pernoscat quid sit res, hinc

PRÆMITTO. *Quid nomine rei apud Alros veniat.*

I. Averroes rem pro opinabili sumit, deducendo rem à reor, ipsum autem reor, significat idem quod sentio, opinor. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non entia non sunt res, & tamen etiam de non entibus opinari possumus. Deinde quando dicitur, opinor hanc rem, non est sensus opinor opinionem, sed opinor de objecto opinionis, quod est res, de qua se, quæritur quid sit?

II. Nomine rei venire solet prædicatum transcendente etiam differentiis entis competens, primumque locum obtinet in voce illa Reubau. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia quæro de hoc ipso, quid est hoc prædicatum res, quod ceteroqui sumitur pro prædicato transcendente.

III. Nomine rei venire solet id, quod habet esse independens ab intellectu. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia multa sunt quæ essentialiter sunt verum, nec vocantur res, & tamen sunt independentes ab intellectu ut modi entitativi, relationes sunt independentes ab intellectu, & tamen non sunt res.

IV. Nomine rei venire solet ex Hurtado Disp. 10. Metaphysicæ Sect. 2. ipsa substantia rei, quæ sit ejus naturæ, ut stante illa & mutatis reliquis, maneat idem ens, illa verò mutata, stantibus aliis, non sit idem ens, sic v.g. substantia panis est res, nam ex vi formæ consecratiivæ sublata illa, jam non est res panis, quamvis reliqua maneat accidentia. Dæmon autem assumens figuram & accidentia suis, non est sus, quia non accipit ejus substantiam. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Quia multa sunt res quæ non sunt substantia, nam & ipsa accidentia sunt res, & tamen non sunt substantia.

V. Nomine rei venit apud Scotistas Formalitas, quæ conjuncta cum altera ratione, extrahit illam ad alterum entis gradum, sic v.g. rationalitas apud ipsos est res, quia extrahit animalitatem, ad esse hominis, gradus autem caloris additus alteri gradui, non est res, quia ad aliam speciem non extrahit calorem. *Hæc acceptio*

NON SATISFACIT. Tum quia ex communi acceptione, etiā qualitas & gradus caloris, est res, tum quia ponamus ad unum caloris gradum apponi miraculose alium specie distinctum, tunc jam calidum ad aliam speciem calidi extraheretur. Ergo potest qualitas nomen rei mereri quod universaliter negabat Scotus. Tum quia alicui substantiali rationi, addita alia ratio, quando extrahit illam ad aliam speciem, est verè res. Ergo & ratio accidentis talis, addita alteri rationi, quando extrahit illam ad aliam speciem accidentis, erit verè res. Et sic quia qualitas extrahit rationem accidentis ad rationem qualitatis, item quantitas ad rationem quanti, verè & quantitas & qualitas erit res.

PRÆMITTO II. *Quid nomine rei sit accipiendum, idque tali discursu explicatur.* Omnia inferiora, sunt per modum concretorum quorundam rationem superiorem contrahentium; & ita v.g. ratio entis completa, quæ est ratio inferior, contenta sub ratione abstractissima entis, est quoddam concretum ex ente abstractissimo & completionem, vivens item contentum sub ratione superiori, quæ est substantia, est concretum

tum ex substantia, & ratione vitæ, & sic de reliquis. Et ratio est, quia si inferiora, non essent concreta quædam, rationem superiorem contrahentia per aliquam formalitatem, & essent inferiora & non essent, essent est supponimus, non essent autem inferiora, quia non haberent quo limitarentur ad rationem inferioris, adstringerenturque ne ad generis sui latitudinem extendantur, nisi illâ formalitate superadditâ, saltem per rationem. Cum autem res sit quid inferius ente abstractissimo, res erit concretum quoddâ ex ente & realitate.

Potest hæc realitas quæ est forma, à quâ denominatur ens ratum seu res, non aliud est nisi aptitudo existendi sine alio, ad quam aptitudinem, sequitur negativa formalitas, independentia ad existendum sine alio vel miraculosè vel naturaliter, ita ut posito in ente, hoc tali jure & capacitate, ad existendum sine alio, saltem miraculosè hoc ipso illud ens res erit, & ita quantitas est res, quia potest ut suppono divinitus sine subiecto manere, modus verò non est res, quia nec divinitus potest esse sine modificato.

DICES I. Creatura est verè res, etiam comparata ad Deū, & tamen independentem à Deo, existere non potest, estque ab illo inseparabilis.

RESPONDETUR. Inseparabilitatem interdum oriri ex ratione identitatis in entitate, & sic ensis & gladius, animal & rationale in homine, sunt inseparabilia: quia habent identitatem entitatis. Alia verò sunt inseparabilia ratione influxus, dependentiæ, connotationis &c. Prior illa inseparabilitas, & incapacitas, separatim existendi, arguit negationem distinctionis realis; nihil enim a se ipso, distinguitur realiter. Posterior inseparabilitas, stat cum distinctione reali; nihil enim est, quod fundet identitatem realem, cum ergò Deus & creatura benè separari possint ratione entitatis, entitas enim creata non est entitas increata, quantumvis ratione dependentiæ & ubiquitatis divinæ, à Deo creatura, separari non possit; adhuc stabit illic distinctio realis, nã etiam Pater & Filius, stante ratione relationis, independentem à se existere non possunt, & tamen habent inter se distinctionem realem, nihil enim generat se ipsum.

INSTA BIS. Ergò etiam modi erunt res, nam & illi rationem entitatis non habent eandem cum modificatis, quantumvis ratione dependentiæ ab illis, separari non possint.

RESPONDETUR. Multos docere etiam modos esse res, negari tamen potest illos esse res ex duplici Principio: & quia non habent etiam in illa distincta entitate, capacitatem existendi sine modificatis, & quia nomen rei impositum est ab Auctoribus ad significandas non aliquas entitates imperfectas, & quæ se habent per modum essentialis determinationis, actualitatis, quales sunt modi.

DICES IV. Quamvis independentem à Filio

& Spiritu sancto Pater existere non possit, est tamen verè res. Ergò & creatura licet independentem ab alia existere non possit, verè erit res.

RESPONDETUR. Quòd Pater sine Filio & Spiritu Sancto existere non possit, habetur id totum ex identificatione in eadem natura, per ordinem ad quam naturam, non est Pater, res distincta in natura, à Filio, & Spiritu sancto, est autem verè res in Persona, comparata ad aliam personam; quia non est identitas in persona, simile autem nihil habetur in creatis, nec tenet argumentatio ab increatis ad creata, in iis præcipuè, quæ Trinitatis mysterium involvunt, quæ tale. Unde res illæ quæ sunt Personæ, cum non sint res distinctæ, in quantum identificantur eidem naturæ, ex eo ipso, quia non sunt hoc sensu res distinctæ, non debent participare rationem allatam, imò potius debent non participare.

DICES V. Efficax Dei decretum de future ratione mundi, vel mea salute, item omnipotentia, aliaque similia, sunt verè res, & tamen non decretum illud sine mundo, nec omnipotentia, existere potest sine possibilitate creaturarum.

RESPONDETUR. Decretum illud non potest existere sine mundo v.g. non ob identitatem entitatis, sed quia respondet tanquam connotatum, quæ respondentia per modum connotati, stat cum distinctione reali ex dictis supra.

PRÆMITTO III. Realitatem accipiendo illam pro ratione abstracta à concreto termino quod est res, predicari posse de re transcendentaliter & abstractè accepta, quantumvis de re substantivè & concretè accepta predicari non possit. Ratio primæ partis est, quia potest predicari ratio entitatis de ente. Ergò & realitas de re. Quod verò realitas predicari non possit de re sumpta concretè & completè. Ratio est. Quia res sumpta pro ente concreto, est quid completum positivè, realitas autem, est quid incompletum, de completo autem positivè, incompletum positivè, non predicatur. His circa prænotationem ipsius ly res præmissis.

DICENDUM est. Distinctionem realem esse aliam realem unius extremi ab alio, ita ut ly alietas sit genus, reliqua differentiæ loco: quod ipsum negativis terminis sic concipitur, quod distinctio scilicet realis: sit carentia identitatis realis duorum extremorum.

PROBATUR. Bonitas definitionis. Quia procedit per leges definitionis ut reflectens advertit.

DIFFICULTAS II.

De Signis Distinctionis realis per alios.

TRIA communiter numerantur, Separatio mutua, oppositio producentis & producti, diversitas suppositorum, & secundum aliquos diversæ existentie, tractandum de illis.

† H

Pun-

Punctum Difficultatis 1.

De Signo Distinctionis, quod est Separabilitas.

DOCEt Communis Sententia, quod separabilitas ad utriusque permanentiam sit signum distinctionis realis.

PROBATUR I. Si ad distinctionem realem non requireretur separabilitas ab utraque parte, modus esset rigorosè res, quia modificatum potest sine illo existere, quod autem separabilitas ipsa requiratur ad distinctionem realem ostendit Auctoritas Aristotelis 7. Topicorum cap. 1. tex. 15.

PROBATUR II. Impossibile est idem à se ipso separari, esset enim idem & non esset, quod implicat. Ergò quæ sunt separabilia realiter, non sunt idem realiter.

PROBATUR III. Impossibile est dividi quod indivisibile est. Ergò & à se ipso separari, quod idem est. Ergò è converso, quæ sunt separabilia, non sunt idem.

DICES I. Terminus & fundamentum, stante relatione non possunt à se separari, & tamen terminus & fundamentum, stante relatione sunt distincta realiter. Ergò possunt esse aliqua distincta realiter, & tamen non esse separabilia realiter; quod terminus & fundamentum stante relatione à se separari non possint, probatur; quia si stante relatione possent terminus & fundamentum separari, & esset relatio tunc & non esset, non esset, quia relatio requirit necessariò cum sit ad aliud, & esset relatio, quia dicis illam stare sine terminò.

RESPONDERI potest. Fundamentum & terminus stante relatione non possunt à se separari, ratione identitatis in entitate. Nego Antecedens, non possunt separari ratione dependentiæ, relationis &c. Concedo Antecedens. Ergò fundamentum & terminus non sunt distincta realiter. Nego Consequentiam.

DICES II. Posita explicatione corporis Christi, vel alicujus accidentis in pluribus subjectis positi, erit illic separatio quoad locum, nam Christi Corpus est in Cælo & in Eucharistia, quæ loca sunt separata, & tamen Corpus Christi ita replicatum, non habet distinctionem realem. Ergò ex separabilitate, male arguitur distinctio realis.

RESPOND. Corpus Christi replicatum, non est distinctum realiter à se ipso; quia in alterutro loco, non esset jam Corpus Christi sed alicujus alterius à Christo. Unde negatur esse illic separabilitatem propriam & quæ arguere possit distinctionem realem, separabilitas enim propria facit & divisionem & supponit, ut hoc, non sit hoc, cum tamen idem sit in pluribus locis corpus Christi, consequenter à se ipso non divisum, nec separatum propriè.

DICES III. Essentia divina est in re conjuncta Paternitati, & eadem numero natura, est separabilis à Paternitate, quatenus est conjuncta Filiationi, & tamen realiter Paternitas & natura non distinguuntur. Ergò separabilitas, non arguit distinctionem realem.

RESPOND. Negando illic esse separationem, quia licet communicetur natura Filio, non communicatà Paternitate, non tamen separatur à Paternitate, cum revera Paternitas seu Pater, sit in Filio per circumcissionem, circuminfectio autem, excludit separationem.

DICES IV. Animal quod est in homine, potest separari ab homine cum sit commune bovi, & tamen animal ab homine non est distinctum realiter. Ergò.

RESPOND. Animal quod est in homine, non idem in individuo est comune realiter bovi, adeoque non idem in individuo separari potest ab homine, consequenter nec idem realiter, distinguitur ab homine. *Hec tamen communis doctrina*

NON SATIS FACIT in hoc. Quia assumit non omnia distincta realiter in creatis esse separabilia realiter, quod doceri quantum potest non deberet, nam si datur, quæri tale debet signum modalis distinctionis, quod conveniat omnibus omnino modis; ita & signum distinctionis realis quæri debet, quod conveniat omnibus omnino, distinctis realiter. Quod ipsum exinde etiam stabilitur, quia, si nihil plus communi huic explicationi addatur, possent esse aliqua distincta realiter, quæ nullum haberent signum distinctionis realis, idque ex communi sententia, prout proponitur, accepta. Intantum probatur; Possibile est tale ens, quod necessariò ad sui positionem dicat & exigit positionem alius entis, cum eoque unionem talem, ut sine ea, ne divinitus quidem manere possint, ut contingeret, si esset materia essentialiter determinata, & ad unionem & ad formam non nisi unum: itemque si iidem forma, ita esset determinata: possibile item est ut eadem entia, non habeant ullam oppositionem producentis & producti. Denique ut nullam habeant propriam subsistentiam sed nonnisi communem, in tali casu illa entia essent distincta realiter, ut ipsa suppositio vult, entitas enim unius non esset entitas alterius, & tamen nullum signum distinctionis realis tunc haberetur, quod est absurdum. Indigebit ergò hæc communis sententia modificatione, de qua

infra.

* *

Punctum

Punctum Difficultatis 2.

De Signo Distinctionis, quod est Oppositio producentis & producti, suppositorumque diversitas.

DOCEt communis sententia. *Oppositionem producentis & producti esse signum distinctionis realis.*

PROBAT. Tum quia sancti Patres ex tali oppositione, arguunt in divinis distinctionem realem. Tum quia existens ante existentiam alterius, non habet idem esse cum non existente, producens autem, est ante existentiam producti. Nec refert quod possit producens, non nisi prius esse ratione; quia productum physicè, non potest esse prius ratione se ipso; esset autem prius ratione se ipso, in quantum idem esset physicè seu indistinctum realiter, à producente. Tum quia si producens & productum possent non esse distincta realiter, posset idem producere se ipsum, si autem posset producere se ipsum, posset agere aliquid priusquam sit, quia non esset productum antequam esset productum, & tamen ageret, quia se produceret, hoc autem concedi non debet, quia esset actio nihili.

DICES I. Non implicat contradictionem ut idem reproducat se ipsum secundò, hancq; virtutem productivam sui concedit Suarez humanitati Christi, docetq; quod Christus se in Eucharistia reproducat. Ergo oppositio producentis & producti non arguit distinctionem realem.

RESPONDETUR. Communis sententia ex oppositione producentis & producti primò, arguit distinctionem realem, non autem si id fiat secundò.

DICES II. Actio respectu agentis habet oppositionem producentis & producti, & tamen actio ab agente, non distinguitur realiter.

RESPONDETUR. Ut oppositio producentis & producti arguat distinctionem realem, attendendum est ad naturam producti, an excedat rationem modi, habeatq; constitutiva entis rati, quæ constitutiva non habet id, quod se habet per modum actualis cuiusdam determinationis: Actio autem se habet per modum talis determinationis. Deinde hæc sententia ponit pro signo distinctionis realis oppositionem producentis & producti, non autem oppositionem productionis & producentis, jam autem actio, non est productum, nisi forte ut Quo, hoc est productio.

DICES III. Emanatio proprietatum v.g. risibilitatis à rationalitate, est quædam producentis & producti ratio, & tamen risibilitas & rationalitas, non sunt quid distinctum realiter.

RESPONDETUR. Agere communem sententiam de productione verà, non verò de pro-

ductionibus ex modo concipiendi, ex modo autem concipiendi rationabilitas producit risibilitatem.

Caterum hæc communis doctrina

NON SATISFACIT. Quia deberet assignare, si fieri possit, signum distinctionis realis universale, ut dictum supra; prædicta autem oppositio, non est signum universale, quia lapis v.g. distinguitur à gemma idque realiter, & tamen non habent oppositionem producentis & producti.

DOCEt Rursus communis sententia. *Distinctionis realis signum esse diversitatem suppositorum,* ita ut illa censeantur esse distincta realiter, quæ sunt supposita distincta realiter, & ita inter Petrum & Paulum diversitas suppositorum, arguit distinctionem realem.

Hæc doctrina communis

NON SATISFACIT. Tum quia diversitas illa suppositorum vel in Naturis arguit distinctionem realem, vel in ipsis suppositis; non primum, quia aliàs darentur tres naturæ divinæ, cui tres personæ conveniunt; non secundum, aliàs nunquam distinguerentur realiter naturæ, sed non nisi ipsa supposita, v.g. tum quia in Christo jam non dux essent naturæ, cum in illo sit unum suppositum. Tum quia suppositi unitas, non arguit identitatem realem, quia possunt distinctæ realiter naturæ, uno supposito terminari, si enim potest una persona verbi terminare naturam divinam, & unam numero naturam humanam, quam assumpsit, cur non & plures realiter humanitates: Tum quia non est hoc universale distinctionis signum etiam in creatis.

Punctum Difficultatis 3.

De signo distinctionis realis, quod est posse habere propriam existentiam.

PONitur pro Signo distinctionis realis ab aliis, posse habere existentiam propriam: hinc Petrus v.g. futurus, licet non habeat existentiam propriam, quia tamen potest illam habere, ideo Petrus futurus à Paulo existente, distinguitur realiter.

DICENDUM est. *Posse habere primam existentiam non est Signum universale distinctionis realis rigorosè.* Ita Suar. Disp. 7. Sect. 2. n. 13.

PROBATUR I. In divinis tres personæ sunt distinctæ realiter, & tamen non habent existentias proprias, nec habere possunt. Ergo posse habere existentiam propriam non est signum distinctionis realis.

RESPONDETUR I. Tres personæ habent tres existentias relativas identificatas uni existentie absolutæ, sicut dantur tres subsistentiæ identificatæ, uni absolutæ.

† H 2

CON.

CONTRA. Si darentur tres existentia relati-
va, darentur tres Dii relativi, sed non dantur
ut docet fides. Ergo neque dantur tres existen-
tia relativa. Sequela probatur. Ubi dantur
tres essentia divina relativa, illic dantur tres
Dii relativi, sed ubi dantur tres existentia rela-
tiva, dantur tres essentia relativa. Ergo ubi
dantur tres existentia relativa, ibi dantur tres
Dii relativi. Major probatur, quia ubi datur
essentia hominis datur homo, sic etiam ubi da-
buntur tres essentia divina relativa, dabuntur
tres Dii relativi. Minor autem probatur ex
indistinctione essentia & existentia. Conces-
si quidem 1. Par. D. 9. N. 94. relationes divi-
nas esse perfectiones, adeoque competere illis
essentiam pro quidditate seu definibilitate
sumptam, sed non essentiam prout illa suppo-
nit antonomasticon; ut cum dicimus, una est in
divinis essentia.

RESPONDETUR. II. Quod ab entitate & ac-
tualitate divina, non sit argumentandum ad
hanc creatam, cum divina entitas ut inquit respon-
dens, curas nostrarum distinctionum transcendat.

CONTRA. Ergo jam agnoscit hoc signum
non esse universale, cum non competat divinis,
quod inter alia vult ostendere Conclusio, Deinde
ab increatis ad creatam non tenet sequela,
quando infertur aliquid excedens caput in-
tellectus & divinitatem arguens, quod in praesenti
non fit.

PROBATUR II. Hanc explicatio nihil expli-
cat de distinctione reali. Ergo non est bona.
Antecedens probatur. Quia dicere ista distin-
cta esse realiter, quae habent distinctas existen-
tias proprias, est non ostendere, quare aliqua
sint distincta realiter. Quod ipsum probatur,
dicere esse distincta realiter, quae habent distin-
ctas entitates est non ostendere quare aliqua sint
distincta realiter, quia de hoc ipso quaeritur, quid
est habere illas distinctas entitates, sed dicere
ideo aliqua esse distincta realiter, quia habent
existentias proprias, est dicere quod habeant
distinctas entitates proprias: existentia enim &
esse actuale entitatis, non distinguuntur apud
oppositos, esse autem distinctum entitatis, in-
distinguitur etiam ab esse actuali entitatis pro-
priae. Ergo sicut ille terminus rem non bene
explicat ita & hic.

PROBATUR III. Modi habent existentiam
propriam, condistinctam ab existentis modifi-
catorum, esto dependentem ab existentis mo-
dificatorum, & tamen modi non sunt distincti
realiter. Ergo habere existentiam propriam
& realem, non est esse distinctum realiter. An-
tecedens alibi ostenditur, tenentque oppositi exi-
stentiam ab esse actuali non distingui, & tamen
esse actuale habent modi.

RESPONDEBIS. Modum habere existentiam
suam propriam, non realem sed modalem.

CONTRA. Ergo per te illa sunt distincta rea-

liter quae habent existentiam realem, illa vero
distincta modaliter, quae habent existentiam
modalem. Explica ergo hoc ipsum, quid est
hoc habere existentiam realem, & quodnam
signum existentia realis; non ipsa existentia rea-
lis, quia huius ipsius signum quaeritur.

DIFFICULTAS III.

*Adfertur Signum universale Distinctionis
realis.*

DICENDUM I. In creatis signum universale
distinctionis esse solam separabilitatem enti-
tativam.

PROBATUR I. Quaecunque sunt separabilia,
sunt distincta realiter, quod probant argumen-
ta in puncto difficultatis primo adlata, quaecumque
item non sunt separabilia realiter, non sunt di-
stincta realiter. Ergo separabilitas est Signum
universale distinctionis realis. Secunda pars
quam non tenet ut vidimus supra communis Sen-
tentia ita probatur, si essent aliqua inseparabilia
realiter, & tamen realiter distincta, maxime es-
sent creatura respectu Dei, sed etiam creatura
à Deo sunt separabiles. Quod ipsum probatur,
quia ad distinctionem realem sufficit separabili-
tas ratione entitatis, licet non sit separabilitas
ratione influxus, dependentiae, coexistentiae
&c, similia.

PROBATUR II. Inductione quia inter entia
connotativa, relativa &c. etiam stante relatio-
ne, connotatione est distinctio realis, & tamen
non est separabilitas, nisi ratione entitatis ut di-
ctum supra. Ergo haec separabilitas sufficit.

PROBATUR III. Quia si haec separabilitas
ratione entitatis ad distinctionem realem non
sufficit, daretur eventus ut dixi supra, in quo a-
liqua distinguerentur realiter, sine signo distin-
ctionis realis, quod est absurdum.

Quare autem modus quamvis sine illo possit
existere modificatum non sit res, dictum supra.

DICENDUM II. In divinis illa esse distincta rea-
liter & sola, quae habent oppositionem producen-
tis & producti.

PROBATUR I. Testimoniis Patrum, qui ex
ista oppositione arguunt in divinis realem di-
stinctionem.

PROBATUR II. Illa sunt signa distinctionis
realis in divinis, quae sunt signa & simul principia
alietatis extremorum, ad distinctionem requisi-
torum, sed alietatis extremorum, ad distinctio-
nem requisitorum in divinis, signa & principia,
sunt ratio producentis & producti. Ergo eadem
oppositio, erit & signum distinctionis realis.

PROBATUR III. In divinis reperitur ratio
quae est realissime unum, reperitur & ratio, quae
est realissime plura, prior illa est natura divina,
posterior est, ratio trium realium personarum.
Quare haec tres reales personae, vel sunt per
com-

communicationem vel per productionem. Non primum, quia illa communicatio fit per ejusdem identitatis imbibitionem. Ergo debet fieri per productionem. Ergo ipsa productio si est principium oppositionis illius realis, erit etiam signum, quia in presenti pro eodem sumuntur.

DICENDUM III. *Si novitas phraseos non esset viruperabilis, posset signum distinctionis in divinis poni, separabilitas personalis.* Licet hæc phrasis non sit usurpanda, quia ea non utuntur Patres, & quia videtur convellere prædicatum circuminfectionis, si tamen debito modo intelligatur separabilitas illa personalis, non convellit circuminfectionem, nam non hoc vult, quasi possit esse alicubi Pater, ubi non sit Filius, hoc enim vetat perfectio circuminfectionis, sed hoc sensu, quia est separata, hoc est alia persona Patris v.g. à Filio, ita ut sicut in separatis unum non est confusum cum alio, nec eidem conveniunt, ita nec est confusio in personis, sed alietas actualis, & cui personæ convenit esse Patrem, eidem non convenit esse Filium.

PROBATUR Conclusio. Quia excepta novitate phraseos, & si intelligatur ut explicata est, continet sanam doctrinam, imò & articulum Fidei, nam in dicto sensu, separata est Persona Patris, separata Filius, licet non sit separatio in essentia. Nomine separationis non intelligendo incoexistentialitatem localem, sed alietatem nemine cogitante, pluralitatem conjunctam. Hocque videtur voluisse Nanz. Orat. 37. quæ est 5. de Theologia. Ubi personæ divinas appellans, videtur admittere separabilitatem personarum, prout à nobis sumitur.

OBJICITUR I. Etiam per nos non esse datum signum distinctionis realis universale, siquidem aliud est in divinis, aliud in creatis.

RESPONDETUR. Si teneat Conclusio tertia, datum est à nobis signum universale, nempe separabilitas accommodata, vel ratione entitatis ut in creatis, vel ratione personæ ut in divinis. Deinde intentum principale fuit defendere, quod in creatis signum universale distinctionis realis, sit separabilitas.

OBJICITUR II. Saltem nullo distingueretur hæc doctrina à communi sententiâ quæ tamen à nobis in hac materia videtur rejici.

RESPONDETUR. In hoc non nisi à nobis aliquorum sententiam impugnari, in quantum docent, quod dentur in creatis aliqua distincta realiter, non separabilia realiter, cum tamen defensum sit à nobis. Ubique reperitur distinctio realis, reperiri etiam separabilitatem.

OBJICITUR III. Scotum docere quod esset Spiritus sanctus distinctus realiter à Filio, quantumvis non procederet à Filio. Ergo oppositio producentis & producti, non arguit distinctionem realem.

RESPONDETUR. Doctrinam Scoti non nisi cum certis limitationibus veram esse, de quibus in prima Parte adeoque non esse contra nos, & etiam in casu ab illo proposito distinctio realis inter se Patris & Filii non oriretur quidem ex oppositione producentis & producti in se, oriretur tamen per multos ex productione alia, adeoque distincta licet pendente ab eodem principio, quod solum sufficit ut stet doctrina, quod oppositio producentis & producti seu petibilis à productione, fundet distinctionem realem. Denique signum hoc distinctionis ponitur idque universale secundum suppositiones quæ sint possibiles, non autem secundum suppositiones impossibiles, impossibile autem est à Filio non procedere Spiritum sanctum.

Ad alia in hac materia solvenda.

SUPPONO I. Ethnicam Philosophiam nullibi agnovisse distinctionem realem, nisi inter ea, quæ separari de facto videbat. Ratio, quia independentem à miraculo Eucharistiæ, non habebatur fundamentum, sciendi quid ferat natura alicujus entis, in ordine ad separabilitatem.

SUPPONO II. Ex Suario in istis quæ sunt miraculose separata sicut supponimus, separatam esse quantitatem vel albedinem panis, à substantia panis in Eucharistiæ, in his inquam considerandum est, an illud, quod sine alio conservatur, sit tale, ut sit imperfectius, adhærens, rationem potius determinationis seu modi præferens, sit tamen conservatum; si enim hoc imperfectius, sit conservatum, bene arguimus illud non esse modum, nam modus sine modificato conservari non potest. Sic v.g. quantitas habet rationem imperfectioris præ substantia, sed dubitari poterat, an non haberet rationem modi, quia verò videmus illam conservari sine substantia, arguimus, illam esse distinctam realiter. Quod si in separatione miraculosa id potius maneat quod habet rationem perfectioris, nondum est intellectus certus an non, quod remansit, sit modus, vel res; sicut quando mansit natura humana in Christo, & non mansit Persona, non certificatur hoc miraculo intellectus, an sit persona, modus vel realitas.

SUPPONO III. ex eodem: In istis quæ nunquam sunt miraculose separata, ita esse philosophandum: an rationes, inter quas quæritur distinctio, excedant rationem modi, sufficiatque utraque, ad constituendam entitatem, supplementatam. Considerandum deinde: an inter illas rationes, inter quas distinctio quæritur, sit tanta diversitas, ut in re finita, requiratur pluralitas principiorum, quæ principient illam diversitatem, & tunc ex istis arguendum erit de separabilitate, adeoque distinctione reali.

SUPPONO IV. à negatione distinctionis realis, aut positivæ, non valere Consequentiam ad illationem realis identitatis aut positivæ. Sic v.g.

† H 3 non

non valet hæc Consequentia: calvitium & cæcitas non sunt distincta positivè. Ergò sunt idem positivè. Ratio inconsequentia est, quia ad negationem distinctionis realis, non requiritur ut extrema sint positiva & realia, requiritur autem ad identitatem positivam & realem cum alio, esse positivum & reale, prius enim est esse tale, postea esse tale cum alio.

SUPPONO V. Non valere etiam consequentiam à negatione identitatis realis, v. g. non valet hæc Consequentia, lux & tenebræ non sunt idem positivè. Ergò sunt distincta positivè. Ratio, quia ad negationem identitatis realis, non est requisita entitas realis & positiva, ad distinctionem verò realem, requiruntur entia realia, positiva, saltem in communiori sensu.

SUPPONO VI. Malè inferri ex negatione identitatis realis actuali, existentiam realem actualem, nam non valet hæc Consequentia: Dies hodiernus cum crastino non est idem realiter actu. Ergò dies hesternus est actu.

SUPPONO VII. Malè inferri quod ea quæ sunt negativè distincta, habeant negationem distinctionis. Ratio, quia privatio est negativè à subiecto suo distincta; falsum tamen est, quod non sit distincta.

QUÆSTIO III.

De distinctione per connotata.

SERVET hæc Tractatio ad multas materias quæ principaliter à recentioribus sunt tractata: in materia de relationibus, in materia de actu Deilbero, &c.

DIFFICULTAS I.

Premittuntur quedam de Connotatis.

PRÆMITTO I. Alia hæc esse: *Connotans, connotatum, connotatio, connotativum.* *Connotans* est Subiectivum illud fundamentum cui tribuitur Connotatio, seu est id quod connotat. *Connotatum* est ille terminus, & illud objectum Connotationis, seu id quod connotatur. *Connotativum* autem est illud, quod hæc omnia complectitur, nec enim stare potest connotativum, sine connotante, aut connotato, aut ratione connotandi; si tamen connotativum potentialiter sumatur & remotè, poterit importare quasi potentiam connotandi. Adde in communi sermone accipitur interdum connotatum, non pro objecto connotationis adeoq; non accipitur participialiter, sed accipi solet nominaliter tanquam substantivum, significatq; ipsam distinctionem: unde idem est dicere, tenet in Philo-

sophia connotata, ac tenet distinctionem connotativam.

PRÆMITTO II. *Genus adrelativum & connotativum videtur esse respectivum.* Ratio quia & de connotativo & de relativo dicitur quod sit respectivum. Relativum autem ipsum & connotativum rigorosè loquendo sunt etiam quid distinctum, hoc enim concretum quod dicitur relativum est ipsum fundamentum in circumstantiâ termini subque denominatione termini: hoc autem concretum quod dicitur connotativum, dicit entitatem subiecti, sortientis denominationem novam, propter positionem alterius, non sub denominatione termini, sed tanquam circumstantiæ, effectus &c. seu propter positionem connotati, videturque ratio relativi, posterior esse ipsomet connotativo; nam prior est explicatio omnipotentia, per bonnotata: dicendo, quod omnipotentia sit ipsemet Deus, prout est principium rerum possibilem, tuncq; primum intelligitur resultare relatio ad illas, explicante quodammodo connotatione ipsum esse, relatione autem importante tunc primum respectum. Addit Mastrius Disput. 8. Logia. N. 33. hanc distinctionem. Connotatio pertinet ad modum significandi, relatio ad rem ipsam. Unde etiam connotatio reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati, dant aliud intelligere secundario, ut patet in nomine Cæna: relatio autem pertinet ad res ipsas, ut esse simile, esse hoc nigrum & terminum nigredinis.

PRÆMITTO III. *Quando est subiectum connotans, & quando est id quod connotatur, tunc solet oriri nova denominatio, quæ antea non fuit seu novum connotatum substantivè acceptum, sic v. g. quando est comestio cibi, & advenit tempus vespertinum, oritur nova denominatio in illo cibo, & novum connotatum ut comestio illa, vocetur cæna. Hæc denominatio connotatum &c. duo dicit, unum in recto, & aliud in obliquo, de hoc recto & obliquo.*

ASSERO I. *Rectum quod dicit Connotatio, est subiectum, quod denominationem sortitur novam, vocaturque ideo rectum ex eo, quod quærenti quid sit denominatio nova, seu quid novum illud connotatum, fiet tunc responsio per subiectum in recto casu positum, si enim quærat quid est Cæna, respondebitur, est sumptio cibi ubi sumptio cibi, est rectum, obliquum autem vocatur, quod in eadem responsione, ponitur in obliquis casibus. Unde ubi quæsieris, quid sit Cæna non sistetur in hoc solo, quod sit: sumptio cibi; sed addi debet obliquum: in tempore vespertino. De eodem recto & obliquo.*

ASSERO II. *Illud quod dicit connotatum in recto, tanquam subiectum, habet se per modum cuiusdam materialis, & illud quod dicit in obliquo, habet se per modum formalis. Sicut enim materia in physicis, est potentia capax & hujus & illius formæ,*